



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0651

Sabato 20.09.2014

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale all'850° anniversario della traslazione delle reliquie dei Re Magi da Milano a Colonia (Germania) (Colonia, 28 settembre 2014)

Il 26 luglio scorso è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Angelo Scola, Arcivescovo di Milano, a Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione dell'850° anniversario della traslazione delle reliquie dei Re Magi da Milano a Colonia (Germania), in programma il 28 settembre 2014.

La Missione Pontificia sarà composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Klaus Krämer, del clero di Rottenburg-Stuttgart, Presidente di *Missio-Aachen* e dell'Opera Missionaria della Sacra Infanzia ad Aquisgrana (che ogni anno organizza l'iniziativa "Re Magi" per la raccolta di fondi in favore delle missioni);
- Rev.do Prevosto Hubertus Böttcher, del clero di Paderborn, decano ad Arnsberg (dove furono nascoste le reliquie dei Re Magi nel 18° secolo a causa dell'invasione napoleonica).

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Francesco al Cardinale Angelo Scola:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
ANGELO S.R.E. Cardinali SCOLA
Archiepiscopo Metropolitae Mediolanensi

Octingentesimus et quinquagesimus iam appetit annus ex quo tempore Trium Regum Magorum exuviae Coloniae sunt translatae atque ibidem in mirabilis artis scrinio servatae. Fulgida stella duce, gaudentes ad Iesum infantem illi quondam accesserunt dona daturi Eumque adoraturi. Eorum nunc reliquiae in cathedrali templo reconditae non modo ornamentum ac splendorem ipsi templo praebent, verum etiam frequentium peregrinatorum concitant animos fidemque roborant.

Admodum ideo aequum est et convenit ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum istis in locis ferventioris religionis sensum concitandi.

Divina igitur suffragante gratia, consequentis mensis Septembris die XXVIII sollemnia agentur atque augustiori ritu Missa celebrabitur, quae veluti fastigium habetur illorum commemorationis, frequenti adstantium ecclesiasticorum laicorumque corona.

Quocirca cum Venerabilis Frater Noster Ioachimus S.R.E. Cardinalis Meisner, Archiepiscopus quondam Metropoli Colonienensis, rogavisset ut te mitteremus, Mediolani Pastorem, utpote cum illorum trium Regum quae superesse dicuntur ista ex urbe iter Coloniam olim suscepissent, huic postulationi obsecundandum iudicavimus, quo ritus ille elatius et luculentius perageretur. Ad te ideo animum convertimus, personam inibi Nostram gerere paratum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **Missum Extraordinarium Nostrum** renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus Coloniae memorato die mensis Septembris agenda.

Novo Pastori Colonienensi, Rainerio Mariae S.R.E. Cardinali Woelki, memorato Archiepiscopo emerito, Episcopis Auxiliaribus, universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, ac pariter cohortationem ad pristinam illam pietatem repetendam Domini nutum parendum. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum, ab omnibus pro Nostro Petrino munere frugifere absolviendo simul preces petentes.

Ex Aedibus Vaticanis, die VI mensis Augusti, in Transfiguratione Domini, anno MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

FRANCISCUS

[01462-07.01] [Testo originale: Latino]
